



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

III. Hugo Archiepiscopus Lugdunensis & apostolicæ sedis Legatus, ut magnitudinem suam ostentaret provincialibus, synodum generalem celebrare cogitat intra Gallias. Consultus à Rege Ivo Carnotensis ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

dinalis Presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ, postea Ravennæ Archiepiscopus, Saxo genere, juvenis ætate, sed seniorum probitate, Vicarius Domini Apostolici eligitur atque dirigitur, apostolicis paramentis atque insigniis non minus insulatus quàm si ipse procedebat. Repetit ista rursus Tangmarus paulò post occasione synodi in Germania ob eam causam habitæ. *Interea affuit, inquit, ab Apostolico & Imperatore vice Papa directus Cardinalis Presbyter Frithevicus, omnibus insigniis apostolicis, ac si Papa procedat insulatus, equis apostolica sella Romano more ostro instratis.* Ceterum primus locus, ut hoc obiter adnotem, datus Legato non est quandiu illic adfuit Villigisus Archiepiscopus Moguntinus.

Fide infra lib. 6. cap. 31. §. 7.

III. Anno M X C V I. Urbanus II. duo Concilia generalia celebraverat intra Gallias, primum quidem in civitate Turonensi, aliud verò apud Nemausum in prima Narbonensi. Quia verò Concilia illa plurimum habebant dignitatis ac splendoris, Hugonem Archiepiscopum Lugdunensem, qui Legatus apostolicæ sedis erat, incessit ambitio generalem synodum habendi, ut eo pacto auctoritatem suam ostentaret. Literas itaque ad universos regni Francorum Episcopos cum scripsisset, quibus eos evocabat ad Concilium, Philippus Rex, qui haud dubiè ægrè ferebat Episcopos suos evocari ab Episcopo alterius regni, consuluit Ivonem Episcopum Carnotensem quid factò opus esset. Quòd si ille non rescripsisset, non haberemus hodie exemplum ambitionis istius Legati. Sic ergo legitur in epistola L V I. Ivonis ad Philippum Regem: *De eo quod parvitati meæ mandavit vestra sublimitas, post duo Concilia hoc anno à Domino Papa celebrata, nunc Legatum ejus Lugdunensem Archiepiscopum infra eundem annum tertium generale convocare, & ad hoc regni vestri Episcopos invitare, serenitati vestre respondeo quia cum nuper literas ejus habuerim, nihil tale ibi legi, vel à misso ejus audivi. quod tamen si faceret, non esset hæc apostolica institutio vel ecclesiastica consuetudo.*

Fide epistolam Petri Damiani ad Hildebrandum, apud Baron. ad an. 1059. §. 45.

Fide supra cap. 49. §. 2.

IV. Iam tum Legati contendeabant primum locum sibi competere in Conciliis generalibus cum prerogativa suffragij, ideòque mirum videri non debet Hugonem cogitasse de celebrando Concilio, in quo ipse cum summa auctoritate præesset universis Archiepiscopis & Episcopis regni Francorum. Istam tamen legem per ea tempora duram & iniquam esse putabant Angli, non tamen contradicere ausi ob metum Romani Pontificis & Legatorum. Extat illustre istius rei exemplum apud Gervasium Dorobernensem, à nobis supra relatam, ut necesse non sit hæc rursus describere. Illud tantum

dicam, reprehensione dignum Anglis visum fuisse quòd pomposè nimis susceptus esset Legatus ab Archiepiscopis Cantuariensi & Eboracensi, & quòd simplex Presbyter præsideret omnibus Archiepiscopis & Episcopis, idque in sublimi solio, ut ipsa Gervasij verba ponamus. Addit autem istud facinus totam Angliam commovisse in non modicam indignationem, & gravi ex ea re scandalo multorum mentes fuisse vulneratas. Contigere ista anno millesimo centesimo vigesimo quinto.

V. Scio hoc quod dicturus sum de Gerardo Episcopo Engolismensi, è satyra peti quam adversus ipsum scripsit Arnulphus Sagiensis Archidiaconus, qui dein Episcopus fuit Lexoviensis. Referam tamen, ut si vera ex omni parte sunt quæ Gerardo objicit Arnulphus, detestemur hominis superbiam & arrogantiam, sin minus, certè hinc colligamus multa pro more Legatorum gessisse Gerardum quæ reprehensione digna videbantur. Sic ergo loquitur Arnulphus de legatione ejus: *Abinde igitur inconcusse prerogativa potestatis armatus, libera in Ecclesiam Dei facultate grassatus es, singulorum vel depulando quidem vel augendo substantias, infimis summa, summis infima commutando.* Et mox: *Abinde tua diffusioribus spatiis effusa cupiditas copiosam rapacitati suæ materiam non desuisse gavisus est. Quid ergo manifestas exactiones, quid familiaria ob periculum justitia suscepta dispendia dicam? Quid generales synodos, quid fatigatas venerabiles ex remota regione personas edisseram, ut Concilio presidens generali amplitudinem tuæ potestatis gloriabundus inspiceres, & ambitioni satisfacere contemplatio subditorum.*

VI. Per eadem tempora Petrus Leonis, qui in schismate dein electus est Romanus Pontifex adversus Innocentium secundum, Legatus apostolicæ sedis fuit in Gallia & in Anglia. Qua pompa, quo fastu & luxu, quo denique dedecore in legatione versatus sit, si vera sunt quæ de illo narrat Arnulphus Sagiensis Archidiaconus, facilè lector judicabit. Neque enim veri periculum ad me recipio, cum sciam multa interdum studio partium dici quæ non ita sunt vera ut leguntur in libris. Hæc tamen vitia ei adhuc viventi publicè exprobrat Arnulphus in libro contra Gerardum Engolismensem. Deinde ad diversas partes functus legationis officio, cupiditati suæ potius quàm justitiæ satisfacere studuit, adeo ut illi ea tantum bonos exitus habuisse negotia viderentur quæ merces adjecta & marsupij plenitudo subsecuta probaret. Vbi ergo nullis intervenientibus causis, nulla rapine præstatur occasio, tunc exactio blanditiis vel comminatione plena